UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

COLLATIO-||NVM SACRARVM|| LIBRI VIII.|| Tilmanni Bredenbachij S. Th. D.||

Bredenbach, Tilmann

Coloniae Agrippinae, 1592

VD16 B 7378

In libros sacrarum Collationum celeberrimi Doct. Til. Bredenbachij, fautoris & Domini meritiss. Iordanus Louffius Buranus, I. C.

urn:nbn:de:hbz:466:1-65002

Visual Library

Et merito tantum lector amore virum.
Quem nec cura vigil, ſudor nec torruit vllus,
Quo tam præclarum te penes eſſet opus.
Ex quo non ſolum virtutum exempla, paratum
Viuendi rectè ſubſidiumq́ue petes,
Aſt etiam noſtri aduerſum fera toxica ſæcli
Deſumes animæ pharmaca tuta tuæ.
Antiqui technas colubri procul effuge Lector,
Tempora & authori longa precare. Vale.

In libros ſacrarum Collationum celeberrimi Doct. Til. Bredenbachij, fautoris & Domini meritiſſ. Iordanus Louſſius Buranus, I. C.

SPlendida corporibus præbebant fercula menſæ,
Aſt animo ſolidas vix dedit vlla dapes.
Donec inexhauſto veræ pietatis amore,
Proderet ambroſias haſce Bredenbachius,
Qui veluti varios per prata virentia flores,
Sedula apis libans dulcia mella facit:
Sic monumenta piis cum priſcis nupera luſtrans
Contulit in claſſes optima quæque ſuas,
Qualia præſertim doctis (quibus iſta parantur)
Moribus & placidis grata futura putat,
Cernitur hic ſummum ſua per miracula ſacrum,
Nec non diuorum nomina culta piè,
Præmia munificos maneant quæ ſchiſmata pœnæ
Omnia ſanctorum vindice tuta Deo.
Plurima ſinceræ præcepta ſalubria vitæ,
Panditur, & priſcæ religionis honos.
Hic probitas, zelus, ſancti ſine crimine mores,

Atque

Atque refigendis non minus apta malis.
Huc exempla virum donantur luce priorum
Ceu ſpeculum vitæ ſanctaque colloquia.
Sint igitur cordi monitus, documentaque ſana
Turba licet contra deteriora probet.
Dumque alij nugas ſtudio ſectantur inani,
Tu cole ſydereas quæ docuêre vias.
Aſpera nam præſens moneat niſi numinis ira,
Olim fata vides quàm tibi dira paras:
Contrahe quod poteris conuiuia, parce Lyæo,
Sobria ſufficiunt pabula Chriſticolis.
Impia nec maculet veſtram detractio menſam,
Hiſtrio laſciuus, fabula vana procul.
Sed magis horreſcas infidæ dogmata ſectæ,
Blandula quæ primo mox truculenta furit.
At penetrent animi meliùs quò cuncta receſſus,
Ne ſit opus præſens conſuluiſſe graue.
In quo ſi fuerint quædam malè grata palato,
Candidus hæc alijs poſſe placere putes?
Haud etenim damnas variæ conuiuia menſæ,
Paucula quod ſtomacho ſint minus apta tuo.
Sed tener ex facili tacitus ſatiaberis eſca:
Cætera cum firmis nec quoque diſpliceant.
Haud ſecus huic placidus ſermo, aut narratio grata,
Acrior hic valido diſputat ingenio.
Nam variant genio licet hic ſi vera fatemur
Leuia ſint menſæ dogmata rauca ſcholæ.
Sed procul hinc momi nimium rigidique Catones,
Mens mihi ſola ſatis, grata, ſerena, pia.
Octo libros, totidem miſſus, bellaria (mixtæ
Scilicet hiſtoriæ) ſunt ſequutura. Vale.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN